

ut taceamus, quanta sententiarum divertia in ipsa de officiis Salvatoris doctrina sese offerant, magni omnino ponderis & gravitatis.

§. II. *Doctrina itaque ecclesiae nostrae purior adeo te-*
pide proponi neutquam debebat. Multo enim sanctior est
& locupletior, quam ut solis his cancellis sine omni cautela &
explicatione concludi possit: attributa divina, omniscientiam,
omnipotentiam, omnipraesentiam, adorabilitatem, Humanae Natu-
rae communicata esse. Primo enim non saltem attributa, sed
etiam hypostasis divinae humanae naturae incarnatione est commu-
nicata. II. Communicatio etiam naturae divinae ad humanam est
facta, idque sine omni vel confusione, vel transfusione sive com-
mixtione vel exaequatione. III. Communicatio attributorum ipso-
rum non unius ejusdemque classis est. Nam non saltem ἐνεγγυητικὰ,
qualia hic enarrata sunt, verum etiam ἀνενέγγυτα ad
humanam Naturam communicata fuerunt, & perinde a Re-
formatis in dubium vocata. IV. Haec attributa ἐνεγγυητικὰ
sunt longe plura, quam quae enumerantur, ut virtus vivificandi,
ipsaque divina majestas & gloria, non prætermittenda, quam
secundum divinitatem aequalem & eandem cum Patre habet,
Johan. XVII. 5. cum omnibus donis infinitis exinde resultanti-
bus, & omnia dona finita infinitis modis superantibus. V. Cum
his attributis enumeratis communicata sunt apotelesmata ex
utriusque naturae operationibus hypostatice factis redundantia, adeo,
ut triplex officium Christi non secundum divinam saltem, sed et-
iam secundum humanam revera peragatur, (de quo momento
conf. Special-Wiederlegung der Casselischen Wechsel-Schriften P. I.
c. II. p. 116.) & quae alia sunt, quae ad doctrinam auream ec-
clesiae nostrae, ex verbi divini limpidissimis fontibus haustam
summatim recensendam pertinent. Si dixerit quispiam, non
videri, fuisse scopo praesenti conforme; nihil sane obtinebit. Vbi
enim de dissensu dicendum, & τὸ ἀνέγον controversiae est po-
nendum,